

Numeri,
 Spatia,
 etc.

Sensibilia

crassiam ex animo affinixerit opinionem, vid. B. noster Sle-
 vogtius disp. de Univ. ante rem) sed in arboris substantialis
 firmissima stirpe, *Ente ut sic*, formaliter & seorsim concepti-
 biles, aliàs ab Aristotele *Substantia secunda* formaliter tales
 dictæ: quas gemelli comitantur *Numeri*, non æstimativè spe-
 ctati, sic enim quantitates sunt discretæ; sed absolutè & radi-
 caliter, prout Substantiarum secundarum sunt principium
 quasi materiale: sequitur *spatium* Substantia formaliter im-
 mobilis, quam Alexander æternam, Philoponus immateria-
 tam, h. e. ab omni materia mobili realiter distinctã, adeoque
 remotã licet hac per & pro se subsistentem, non immeritò vo-
 cavit: agmen claudunt à potiori dicta *Sensibilia*, h. e. Sub-
 stantiæ mobiles, de quibus nunc porrò nos oportet esse so-
 licitos.

CAPUT V.

De Philosophiâ Naturali.

§. 1.

Substantia
 mobiles sunt

(1) Corpus
 mere Natu-
 rale,

(2) Homo
 etc. META-
 etc.

CÆterũ cum duplex sit *mobilitas, determinata nimirũ, & in-*
determinata, quarum illa Substantiam, positis omnib9 ad
 motum requisitis, non posse non moveri; hæc eandem posi-
 tis omnibus ad motum requisitis etiam posse non moveri,
 facit: duo cum primis exsurgunt *Substantia mobilis genera*, u-
 num *Naturale* dictum, alterum *Liberum & rationale*. Illud
 sibi relictum, h. e. in suis naturalibus spectatum, nil nisi ma-
 teria est, certo partium situ, figurã, motu determinata, inde-
 que certam Substantiæ speciem, *Corpus naturale* dictum, re-
 præsentans, vid. Arist. 8. Metaph. 2. Hoc, nempe *Liberum*,
 duas ultiores habet species, quarum una, præter ipsam
 hanc materiam certo modo similiter formatam, quam par-
 ticipat, *aure Divina particulã* gaudet, quam *Mentem* dicimus
 & Animam rationalem, ipsum verò complexum *Homo* est,
Divini Numinis imago, quem inde præ creaturis omnibus ve-
 lut in delitiis habet Deus, & cui cætera, quibus ad sui crea-
 toris laudem suamque felicitatem utatur, pleno jure con-
 cessit.

§. 2.